

eis DEVS: caput aspidum suget & occidet eum lingua vipera: Et Augustinus in Gen. cap. 28. observavit, permitti à DEO frequentius incantationem serpentum, quam ferarum aliarum, & ut major sit illorum familiaritas cum hominibus propter fraudem, quia sunt primi parentes ab eo decepti: Sed enim sub serpentis lingua vesica est plena veneno, quæ rumpitur, quando mordet: Sic cum venenum aspidum est lingua eorum, linguis dolosè agunt Eccles. 10. v. 11. Psalm. 139. v. 17, 18. peribunt, & DEO arbitrante rumpetur quisquis rumpitur invidia,

Locus septimus.

§. 22. *De timore DEI; hîc non est in conspectu impiorum, sit contrà in conspectu nostro: Ideò enim omnia fecit ut timeatur, Eccles. capit. 3. vers. 14. omnia operata est divina majestas propter semet ipsam, Proverb. 16. vers. 4. ut nos exclamemus: Domine quis similis tibi? Non est similis tui in Dijs Domine, & non est secundum opera tua, Psalm. 34. vers. 10. & 85. vers. 8. Timeat ergo DEUM omnis terra, ab eo commoveantur omnes inhabitantes orbem, quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt Psalm. 32. vers. 8. Primus in orbe DEOS fecit timor, ait P. Stadius, & DEUM nonnulli derivant à deós quod timor est, Clemens Romanus Epistol. 1. λατρεύειν quod est DEUM colere, derivat à λα (quæ particula significationem auget) & τρέειν quod est timere; qui timet DEUM, nihil negligit Eccles. 7. vers. 19. sed pergamus,*